



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Sed an licet desiderare pollutionem in somno contingentem, ut natura  
levetur, seu sanetur, non intendendo pollutionem ipsam, nec  
delectationem veneream, nec aliquid adhibendo, ut pollutio in somno ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

centiam internam, nam non licet se habere indifferenter ad illam. Certò autem peccat, qui expergefactus promovet pollutionem in somno cœptam, addendo conatum: quia non præcisè patitur, sed positivè continuat illam.

*Not.* Sæpe pollutio, præter propriam malitiam, habet aliam in confessione exprimendam, petitam vel ex qualitate personæ se polluentis, si est sacra, vel conjugata: vel ex affectu ad aliam, cum qua desideratur concubitus, quæ si sit soluta, malitiam habet fornicationis; si sacra, sacrilegii; si ejusdem sexûs, sodomix; si conjugata, adulterii, &c. vel ex modo, quo se polluit, si nempe fiat per tactus mutuos cum alia persona; nam hæc circumstantia pertinet ad speciem sodomix, si ambo sint ejusdem sexûs, ad incestum, si sint consanguinei, aut affines, &c. Idem dic de aliis luxuriæ peccatis.

*Sed an licet desiderare pollutionem in somno contingentem, ut natura levetur, seu sanetur, non intendendo pollutionem ipsam, nec delectationem veneream, nec aliquid adhibendo, ut pollutio in somno sequatur?*

*Resp.* Azor cum aliis negat: quia pollutio est mala ex objecto suo, & natura: at non licet etiam ob bonum finem desiderare id, quod

quod ex objecto suo malum est. Affirmant alii cum S. Antonin. 2. p. tit. 6. c. 5. ubi ait: *appetere habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantum sine peccato, id est, sine hoc, quod det operam, sed viâ naturali, non est peccatum.* Ratio, quam affert Sanchez, est, quia talis pollutio non procurata, sed viâ naturali proveniens, nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subiectus, sed actus quidam, & evacuatio naturalis, sicut sudor. Sicut de homicidio, & fornicatione, quæ non sunt actus naturales, sed suapte naturâ liberi, & hominis voluntati subiecti.

Item controversia est utrum liceat de pollutione in somno inculpabiliter eveniente gaudere, præcisè ob levamen naturæ, & salutem corporis. Quamvis consentiant omnes licitum esse gaudere de bono effectu illo ex ea orto. *S. Thom. in 4. dist. 9. a. 4. q. 1. ad 5.* de pollutione nocturna, & inculpabili ait: *Si autem placeat ut natura exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

Q. 5. *An est peccatum ponere actionem, ex qua prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea?*

Resp. I. Est mortale ponere sine urgenti necessitate actionem, ex qua tanquam causa propinquâ prævidetur secutura pollutio, vel